MONITA
SECRETA
SOCIETATIS JESU.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

COLL. NEAP. SOC. IESU EX BIBL. MAX.
IHS

MDCCLXVII.

SUPERIORUM PERMISSU,
AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

MON

SECR

SOCIETA

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

MDCC

SUPERIORU

AC PRI

Digitized by Google

MONITA

SECRETA

SOCIETATIS JESU.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

EX BIBL. MAX. COLL. NEAP. SOC. JESU
IHS

MDCCLXVII.

Superiorum Permissu,
ac Privilegio.

PRÆFATIO.

RIVATA *hæc Monita cuſtodiant ligenter, & penes ſe ſervent Supe- ores, paucisque ex profeſſis ea tan- ım communicent; & aliquando de iis ıſtruant non profeſſos, quando nimi- ım, & quanto cum fructu Societatis ſui ſit: illaque nonniſi ſub ſigillo ſi- entii, nequidem ut ſcripta ab altero, ed ex peculiari experientia deſumpta. Et quia multi ex profeſſis horum ſe- retorum ſunt conſcii; ideo vel ab ini- tio caveat Societas ut nullus conſcius horum poſſit in alias religiones ſe con- ferre, excepta Carthuſianorum, ob per- petuam vitæ abſtractionem, & indele- bile ſilentium, quod etiam ſacra Sedes confirmavit.*

Cavendum omnino ne in manus exterorum hæc Monita deveniant, quia hæc ſiniſtre interpretarentur deſtructioni noſtræ: quod ſi hoc accidat, (& abſit) negentur hæc eſſe ſenſus Societatis, idque per illos confirmando a noſtris, de quibus certo conſtat quod ea ignorent, opponanturque his Monita noſtra generalia, & ordinationes, ſeu regulæ impreſſæ vel ſcriptæ. Superiores etiam ſollicite ſemper & caute inquirant, an alicui externo a noſtris hæc Monita prodita ſint. Nullus etiam hæc pro ſe aut pro alio tranſcribat, aut tranſcribi permittat, niſi conſcio Generali vel Provinciali; & ſi de aſſervandis tantis ſecretis Societatis de aliquo dubitetur, in contrarium illi deputetur, & dimittatur.

CA-

CAPUT PRIMUM.

Quomodo Societas præſtare ſe debeat, quando de novo incipit alicujus loci fundamentum.

I.

UT gratam ſe reddat incolis, multum conducit explicatio finis Societatis præſcripti in Regula, ubi dicitur, *Societatem ſummo conatu in ſalutem proximi incumbere æque ac in ſuam*. Quare humilia obſequia obeunda, Xenodochia, pauperes, afflictos, & carceratos inviſendi cauſa, ut inſolita in omnes charitate, & rei novitate eminentiores incolæ noſtros admirentur & ament.

II.

Meminerint omnes facultatem ad exercenda Societatis miniſteria modeſte ac religioſe petendam, & omnes tum eccleſiaſticos præſertim, tum ſæculares, quorum auctoritate indigemus, benevolos ſibi facere ſtudeant.

III.

Ad loca diſtantia etiam eundum, ubi eleemoſinæ quantumvis parvæ recipiendæ, expoſita neceſſitate noſtrorum; eædem deinde dandæ aliis pauperibus, ut ſic ædificentur ii, qui nondum Societatem novere, & ſint in nos tanto liberaliores.

IV.

Omnes eundem videantur ſpirare ſpiritum; ideoque eundem modum

dum exteriorem addiſcant, ut uniformitas in tanta diverſitate perſonarum unumquemque ædificet: qui ſecus fecerint, tanquam nocui dimittantur.

V.

Non divertant noſtri cum intentione reſidendi per modum Collegii, niſi ad urbes opulentas. Finis enim Societatis eſt imitari Chriſtum, qui Hieroſolymis maxime morabatur: alia autem loca minus præcipua tantum pertranſibunt.

VI.

Summum pretium a viduis ſemper extorquendum, inculcata illis ſumma noſtra neceſſitate.

VII.

In unaquaque Provincia nemo, niſi Provincialis, noverit preciſe va-

lorem redituum, eſto autem ſit quantum Corbona Romana contineat.

VIII.

Conglobentur noſtri, & ubique in colloquiis propalent ſe ad puerorum inſtructionem, & populi ſubſidium veniſſe, ac omnia gratis & ſine perſonarum acceptione præſtare, nec eſſe in gravamen Communitatis, ut cæteri Ordines Religioſi.

CA-

Caput II.

Quomodo Principum, Magnatum, & Primariorum Patres Societatis familiaritatem acquirent; & convenient.

I.

Conatus omnis ad hoc in primis adhibendus eſt, ut Principum, ac Primariorum ubique locorum aures, & animos obtineamus, ne ſit qui in nos audeat inſurgere, quinimo omnes cogantur a nobis dependere.

II.

Cum autem experientia doceat Principes & Magiſtratus tum præſertim affici perſonis eccleſiaſticis; quan-

quando eorum facta diſſimulant, & in meliorem potius partem interpretantur, ut videre eſt in Matrimoniis contrahendis cum affinibus, aut conſanguineis, aut ſimilibus; animandi ſunt qui hæc aut ſimilia affectant, ſpe facta per noſtros iſtiuſmodi diſpenſationes facile a Summo Pontifice impetrandæ; quod fiet, ſi explicentur mores, proferantur exempla, & recitentur ſententiæ favorabiles titulo communis boni, & majoris Eccleſiæ Dei, qui eſt ſcopus Societatis.

III.

Idem faciendum ſi Princeps aliquid aggreditur faciendum, non æque Magnatibus gratum; promovendus nempe animus, & inſtigandus; cæterorum vero animi commovendi ad

ad hoc, ut Principi ſeſe accomodent, neque contradicant. In genere tamen tantum, nec unquam ad particularia deſcendendo, ne Societati imputetur, ſi male negotium ſucceſſerit. Et ſi quidem hoc aliquando factum reprobetur, recitentur monita contraria hæc plane prohibentia, & adhibeatur auctoritas aliquorum Patrum, de quibus conſtat, quod hæc ipſa monita illos lateant; qui etiam cum juramento aſſerere poterunt Societatem, quoad hæc quæ illi imputantur, calumniam pati.

IV.

Juvabit etiam non parum ad occupandos Principum animos, ſi noſtri dextere, & per tertias perſonas inſinuent ſe ad legationes hono-

rificas

rificas & favorabiles ad alios Principes aut Reges pro illis obeundas, præſertim ad Pontificem, & ſupremos Monarchas; hac enim occaſione ſeſe, & Societatem commendare poterunt: quare nonniſi philoſophi valde, & verſati in inſtituto noſtro eo erunt deſtinandi.

V.

Alumni Principum, & domeſtici præcipue, quibus familiariter utuntur, per munuſcula præcipue, & varia pietatis officia vincendi ſunt, ut tandem noſtros fideliter de humoribus & inclinationibus Principum & Magnatum inſtruant, & ſic facile illis Societas ſeſe accomodabit.

Expe-

VI.

Experientia enim docet in Domo Auſtriaca, aliiſque Regnis Italiæ, Galliæ, Poloniæ, cæteriſque Ducatibus quantum Societas ſeſe juverit, tractandis Matrimoniis inter Principes: quare prudenter proponantur exquiſiti Conjuges, qui cum parentibus vel amicis noſtrorum ſint amici vel familiares.

VII.

Fœminæ præcipue Principes per domeſtica, quæ a cubiculis ſunt, facillime vincentur: quare illæ omnibus modis foveantur, ſic enim ad omnia etiam ſecretiſſima in familia aditus patebit.

VIII.

In conſcientiis Magnatum tegendis ſequentur noſtri Confeſſarii ſen-

ſententiam Auctorum, qui liberiorem illam faciunt contra opinionem aliorum Religioſorum, ut relictis illis, a noſtra directione & conſiliis velint dependere.

IX.

Tam Principes, quam Prælati, aliique omnes, qui Societati favorem extraordinarium præſtare poſſunt, participes faciendi ſunt omnium meritorum Societatis, expoſito illis momento hujus ſummi Privilegii.

X.

Inſinuandæ etiam caute & prudenter facultates ampliſſimæ Societatis, abſolvendi etiam a Caſibus reſervatis reſpectu aliorum Paſtorum, aut Religioſorum, vel diſpenſandi in jejuniis, debito reddendo, aut petendo,

tendo, Matrimonii impedimentis, aliiſque notis; in quo fiet ut multi ad eos recurrant, & obſtringantur.

XI.

Invitandi etiam ſunt ſæpe ad Conciones, Sodalitates, Orationes, Actiones, Declamationes &c. in quibus carminibus inſcriptis Theſibus honorandi, & aliquando, ſi expedit, in triclinio menſa excipiendi, variiſque dictis & linguis ſalutandi.

XII.

Inimicitiæ & diſſenſiones inter Magnates ad nos detrahendæ erunt, ut componantur. Sic enim in notitiam familiarium, & ſecretorum paullatim devenire poterimus, & alterutruum mentes nobis devincire.

XIII.

Caveant omnes quacunque ratione dimiſſos a Societate, & præſertim illos qui ſua ſponte ab illa diſcedere voluerint, apud quemquam commendare, aut promovere; quia quantumcunque illi diſſimulent, ſemper tamen irreconciliabile odium adverſus Societatem gerunt.

XIV.

Denique ita omnes ſolliciti ſint Principes, Magnates, & Magiſtratus cujuſque loci conciliare, ut etiam contra conſanguineos, affines, & amicos ſuos pro illis, quando occaſio ſeſe obtulerit, ſtrenue fideliterque agant.

Caput III.

Quomodo agendum Societati cum illis, qui magnæ ſunt auctoritatis in Republica, & quamvis divites non ſint, aliis tamen modis juvare poſſunt.

I.

PRæter dicta, quæ fere omnia proportionaliter illis applicari poſſunt, curanda eſt gratia illorum adverſus Notarios juris.

II.

Utendum etiam auctoritate, prudentia, & conſilio eorum ad coemptionem bonorum, & acquiſitionem munerum a Societate obeundorum;

adhibito etiam tacite & plane ſecreto eorum nomine, in augmentatione bonorum temporalium, ſi ſatis illi videtur confitendum.

III.

Adhibendi etiam ut mitigent & compeſcant homines viliores, & plebem Societati contrariam.

IV.

Ab Epiſcopis, Prælatis, & aliis Superioribus Eccleſiaſticis pro diverſitate Nationum, & propenſione in nos ea exigenda ſunt, quæ fuerint opportuna.

V.

In quibuſdam partibus ſatis erit, ſi procuretur ut Prælati & Parochi efficiant, ut ſubditi illorum Societatem noſtram revereantur, & ipſi miniſteria noſtra non impediant.

In aliis autem locis, ubi plus poſſunt, ut in Germania, Polonia &c. ſacroſancte colendi, ut auctoritate illorum & Principum, Monaſteria, Parochiæ, Præpoſituræ, Patronatus, Altarium fundamina, loca pia fundata ad nos divelli poſſint. Facillime enim ea aſſequi poterimus in locis, ubi Catholici Hæreticis & Schiſmaticis permixti ſunt; demonſtrando ejuſmodi Prælatis immenſum fructum & meritum ex talibus mutationibus, a Sacerdotibus ſæcularibus & Monacis non expectandum. Quod ſi fecerint, laudandus palam eorum zelus etiam ſcripto, inculcandaque facti memoria perpetua.

VI.

Conandum eo fine, ut tales Prælati noſtris tum a confeſſionibus,

tum a conſiliis utantur, & ſiquidem in ſpe ſint aut prætenſione ad altiores gradus in Curia Romana, juvandi omni contentione ac conatu amicorum ubicunque ad hoc conferre valentium.

VII.

Curent etiam noſtri apud Epiſcopos & Principes, ut dum fundant Collegia & Eccleſias Parochiales, Societas habeat poteſtatem ſtatuendi Vicarium habentem curam animarum; ipſe vero ſuperior loci pro tempore exiſtens ſit Parochus: & ſic totum regimen Eccleſiæ illius erit noſtrum, & Parochiani omnes Societati plene erunt ſubjecti, ut quidvis ab illis impetretur.

Ubi

VIII.

Ubi Accademiæ ſunt nobis repugnantes, vel Catholici, vel Hæretici, aut Cives nobis fundationes impedientes; ibi per Prælatos conandum ut primariæ Cathedræ concionatoriæ occupentur. Sic enim continget Societatem aliquando ſaltem neceſſitates, ac rationes per occaſionem ſaltem expoſituram.

IX.

Maxime vero Prælati Eccleſiæ devinciendi erunt, quando agetur de Beatificatione, aut Canonizatione noſtrorum; & tunc omnibus modis a Magnatibus & Principibus litteræ procurandæ erunt, in quibus apud Sedem Apoſtolicam negotium promoveatur.

X.

Si contingat Prælatos aut Magnates legationem obire, cavendum ſedulo, ac præveniendum ne aliis religioſis, qui nobiſcum certant, utantur, ne affectum in illos transferant, & in Provincia vel Civitate, ubi Societas habet Collegia, excipiantur magno honore, & affectu, & pro modeſtia religioſa tractentur.

Caput IV.

Quæ commendata eſſe debeant Concionatoribus, & Confeſſoribus Magnatum.

I.

NOſtri Principes, & Magnates, viroſque illuſtres dirigant, ut ſolum

ad majorem Dei gloriam tendere videantur, & ad talem auſteritatem conſcientiam, qua ipſimet Principes concredant; neque enim ſtatim, ſed ſenſim ſpectare debet directio illorum ad externam, & politicam gubernationem.

II.

Ideo ſæpe illis inculcandum diſtributionem bonorum ac dignitatum in Republica ſpectare ad juſtitiam, graviterque Deum offendi a Principibus, ſi contra eam ſpectant, & ex paſſione procedunt.

III.

Proteſtentur ſæpe & ſerio ſe nullo modo velle in Republica adminiſtrationem ingerere, ſed invitos dicere rationem officii ſui. Tum ubi bene ſemel hoc apprehenderint, ex-

plicetur quibus virtutibus præditi eſſe debeant, qui ad dignitates, & munia publica, & primaria aſſumendi ſint. Nominenturque tandem, & commendentur ab illis qui ſunt ſinceri amici Societatis. Hoc tamen non fiet immediate per noſtros, niſi Princeps ad hoc coegerit, ſed plus gratiæ habebit, ſi interponantur amici vel familiares Principis.

IV.

Quocirca Confeſſarii & Concionatores noſtri informentur ab amicis noſtris, qui pro quovis munere ſunt apti, præſertim tales qui erga Societatem liberales ſunt; horum nomina apud ſe habeant, & ſuo tempore cum dexteritate ſive per ſe ſive per alios Principibus & Magiſtratibus inſinuent.

Memi-

V.

Meminerint ſummopere Confeſſarii & Concionatores ſuaviter & blande tractare, nullo modo in Concionibus & privatis colloquiis perſtringere, omnes pavores ab illis removere, & in ſpe, fide, juſtitia, politica potiſſimum adhortari.

VI.

Munuſcula parva vix unquam pro privato uſu acceptent, ſed commendent neceſſitatem communem Provinciæ, aut Collegii, Domi; cubiculo ſimpliciter inſtructo gaudeant; neque curioſe nimis ſe veſtiant; & ad abjectiores perſonas, quæ in Palatio ſunt, juvandas ac conſolandas prompte ſe conferant, ne ſolis Magnatibus præſto eſſe videantur.

Quam.

VII.

Quamprimum poſt mortem Officialium curent ut de ſubſtituendis amicis Societatis agant, & ſuſpicione ſe eximant externi regiminis. Quare etiam, ut ſupra dictum eſt, immediate ſe non impendent, ſed amicos fideles & potentes, qui ſuſtinere invidiam poſſint, ſi quæ aliquando oriat .r.

Caput V.

Quomodo agendum cum Religioſis, qui iiſdem in Eccleſia, quibus nos, functionibus vacant.

I.

Istud hominum genus ferendum animoſe; interim Principibus, & illis

lis qui aliqua auctoritate valent, & aliquo modo nobis addicti ſunt, explicandum & opportune indicandum noſtram Societatem omnium Ordinum continere perfectionem, præter cantum, & exteriorem in victu & veſtitu aſperitatem, & ſi quæ Religiones in aliquo excellunt, Societatem eminentiori modo lucere in Eccleſia Dei.

II.

Inquirantur, & notentur defectus aliorum Religioſorum, quibus prudenter & ſæpe ſæpius per modum deplorationis apud fideles amicos paullatim detectis & propalatis, oſtendantur minus feliciter illos ſatisfacere iſtis functionibus, quibus nobiſcum concurrunt.

Majo-

III.

Majori conatu eundum eſt contra eos, qui Scholas pro juventute docenda inſtituere volunt illis locis, in quibus cum honore & utilitate noſtri docent; oſtendant Principibus & Magnatibus tales fore perturbationi & ſeditioni Reipublicæ, niſi impediantur, quæ ab ipſiſmet pueris, qui diverſimode inſtruentur, incipient; denique Societatem ſufficere juventuti erudiendæ.

IV.

Quod ſi Religioſi litteras Pontificias obtinuerint, aut Cardinalium commendationem pro ſe habeant; agant noſtri contra per Principes, ac Magnates, qui Pontificem informent de benemeritis noſtræ Societatis, & ſufficientia; ut per illam juven-

juventus pacifice inſtruatur, procurent & exhibeant teſtimonia a Magnatibus danda de bona illorum converſatione, & inſtitutione.

V.

Interim pro viribus noſtri ſtudeant edere ſpecimen ſingulare virtutis & doctrinæ exercendo ſtudioſos in ſtudiis, aliiſque plauſibilibus ludis ſcholaſticis, Magiſtratibus ac Magnatibus & populo ſpectantibus.

Caput VI.

De conciliandis Societati Viduis opulentis.

I.

DEligantur ad hoc opus Patres provectæ ætatis, complexionis viva-

cis, & converſationis gratæ. Ab illis viſitentur Viduæ illæ, & ſi affectum unquam erga Societatem oſtendunt, viciſſim opera & merita Societatis offerantur; quod ſi acceptent, & Eccleſias noſtras viſitare cœperint, proſpiciatur eis de Confeſſario, a quo bene dirigantur, præſertim in ordine ad conſtantiam in ſtatu viduali, enumerando & laudando fructus & felicitatem, & certo ſpondeant, & tanquam obſides promittant æternum regnum hac ratione conquirendum, & efficaciſſimum eſſe medium ad purgatorias pœnas, & moleſtias evitandas.

II.

Procuret idem Confeſſarius ut Sacello vel Oratorio alicui Domi occupentur adornando, in quo medita-

ditationibus aliiſque exercitiis ſpiritualibus vacare poſſint, ut ſic facilius a converſatione, & Parochorum viſitationibus avocentur; & quamvis Sacella non habeant, noſtri tamen a celebratione Miſſæ, & præcipue ab exhortationibus opportune faciendis non abſtineant.

III.

Caute & ſenſim mutanda quæ ad gubernationem domus ſpectant, ſic habita ratione perſonæ, loci, affectus, & devotionis.

IV.

Amovendi potiſſimum tales domeſtici, ſed paullatim, qui plane cum Societate non communicant, aut correſpondent, taleſque commendandi (ſi qui ſubſtituendi ſunt) qui a noſtris dependeant, & dependere velint

lint. Sic enim omnium quæ aguntur in familia participes certe erimus.

V.

Totus conatus Confeſſarii huc ſpectet, ut Vidua ejus conſilio in omnibus utatur & aquieſcat, quod oſtendetur per occaſionem eſſe unicum fundamentum profectus ſpiritualis.

VI.

Conſulatur, & celebretur frequens uſus Sacramentorum, præſertim Pœnitentiæ, in quo intima animi ſecreta, & tentationes quaſcunque liberrime aperiat. Denique frequens Communio, auditio Miſſæ ipſiuſmet Confeſſarii (ad quam invitabitur cum promiſſis peculiaribus precibus), recitatio Litaniarum, & quo-

quotidianum ſemper examen Conſcientiæ.

VII.

Juvabit etiam non parum ad pleniſſimam cognitionem omnium inclinationum ejus Confeſſio generalis, etiam alteri facta, iterata.

VIII.

Exhortationes fiant de bonis viduitatis, de moleſtiis Matrimonii præſertim iterati; de periculis quæ ſimul incurruntur, quæ maxime ad hominem ſunt.

IX.

Proponendi ſubinde & dextere producendi aliqui, ſed tales a quibus ſcitur bene Viduam abhorrere. Deſcribantur aliorum vitia & mali mores; & ſi qui putentur illi arri-

dere, ut ſic univerſim ſecundas nuptias nauſeet.

X.

Quando ergo circa viduitatis ſtatum bene affectam eſſe conſtat, tunc commendanda vita ſpiritualis, non religioſa, cujus incommoda potius proponenda & exaggeranda; ſed qualis fuit Paullæ, Euſtochiæ &c. proſpiciatque Confeſſarius ut, quanto citius voto caſtitatis ſaltem ad biennium vel triennium emiſſo, omnem aditum ad ſecundas nuptias excludat, quo tempore omnis converſatio cum ſexu impari, & recreationes etiam cum conſanguineis & affinibus prohibendæ, titulo majoris conjunctionis cum Deo. Eccleſiaſtici autem, a quibus viſitabitur, aut quos viſitabit, ſi omnes exclu-

di nequeant, tamen tales ſint, qui ex noſtrorum commendatione admittantur, vel a noſtrorum nutu dependeant.

XI.

Hucuſque ubi progreſſum fuerit, paullatim ad bona opera, præſertim ad eleemoſynas inducenda erit vidua, quæ tamen nulla ratione præſtabit ſine ſui Patris ſpiritualis directione; cum ut plurimum interſit ut cum diſcretione talentum in lucrum ſpirituale detur, & eleemoſynæ male collocatæ ſint ſæpe cauſa vel fomentum peccatorum, & ſic ſimplicem tantum fructum & meritum cauſent.

Caput VII.

Quomodo conſervandæ Viduæ, & diſponendum de bonis quæ poſſident.

I.

URgeantur continuo ut pergant in devotione & operibus bonis, ſic ut nulla hebdomada tranſeat, quin ſua ſponte aliquid in honorem Chriſti, Beatiſſimæ Virginis, aut Patroni ſui præſcindant a ſe de ſuperfluis, quod ipſum in pauperes erogent, donec ſpoliis pleriſque & primitiis Ægypti ſint exutæ.

Quod

II.

Quod ſi præter communem affectum ſuam erga noſtram Societatem liberalitatem teſtentur, idque facere continuent; fiant omnium meritorum Societatis participes cum indulto ſpeciali Provincialis, aut etiam, ſi tantæ perſonæ fuerint, Generalis.

III.

Si emiſerint votum caſtitatis, renovent illud (more noſtro) bis in anno, conceſſa illis pro illa die recreatione honeſta cum noſtris.

IV.

Viſitentur crebro, & jucundis colloquiis & hiſtoriis ſpiritualibus ac facetiis recreentur & foveantur, juxta uniuſcujuſque humorem & inclinationem.

CAPUT VII.

Quomodo conſervandæ Viduæ, & diſponendum de bonis quæ poſſident.

I.

URgeantur continuo ut pergant in devotione & operibus bonis, ſic ut nulla hebdomada tranſeat, quin ſua ſponte aliquid in honorem Chriſti, Beatiſſimæ Virginis, aut Patroni ſui præſcindant a ſe de ſuperfluis, quod ipſum in pauperes erogent, donec ſpoliis pleriſque & primitiis Ægypti ſint exutæ.

Quod

II.

Quod ſi præter communem affectum ſuam erga noſtram Societatem liberalitatem teſtentur, idque facere continuent; fiant omnium meritorum Societatis participes cum indulto ſpeciali Provincialis, aut etiam, ſi tantæ perſonæ fuerint, Generalis.

III.

Si emiſerint votum caſtitatis, renovent illud (more noſtro) bis in anno, conceſſa illis pro illa die recreatione honeſta cum noſtris.

IV.

Viſitentur crebro, & jucundis colloquiis & hiſtoriis ſpiritualibus ac facetiis recreentur & foveantur, juxta uniuſcujuſque humorem & inclinationem.

V.

Non tractentur nimis rigide in confeſſione, ne moroſæ nimis fiant, niſi forte ammiſſa ſpe gratiam illarum aliunde occupatam recuperandi, in quo magna diſcretione de inconſtanti mulierum genio judicandum.

VI.

Arceantur ingenioſe a viſitationibus & feſtivitatibus aliorum Templorum, maxime religioſorum; & inculcetur illis omnes aliorum Ordinum Indulgentias in Societatem noſtram eſſe refuſas.

VII.

Si lugendum ipſis ſit, permittatur lugubris ornatus cum honeſta majeſtate aliquod ſpirituale ſimul & mundanum ſpirans, ut non apprehendant

hendant ſe a viro ſpirituali plane gubernari ; denique modo non ſit periculum inconſtantiæ erga Societatem , ſi fideles & liberales inveniantur , concedatur illis quidquid ad ſenſualitatem requirunt moderate, & ſecluſo ſcandalo.

VIII.

Collocentur apud Viduas aliæ puellæ honeſtæ ex parentibus divitibus ac nobilibus natæ, quæ noſtrorum directioni ac modo vivendi paullatim aſſuefiant; his præſit aliqua a Confeſſario totius familiæ ad hoc electa & conſtituta. Subjiciantur ſindicationibus , aliiſque conſuetudinibus Societatis , & quæ ſe accommodare nolunt, dimittantur ad parentes , a quibus abductæ erant ; deſcribantur tanquam diſçolæ, difficilis genii &c.

 Nec

IX.

Nec minor cura ſanitatis & recreationis illarum, quam ſalutis habenda erit. Quare ſi de valetudine conquerantur, ſtatim jejunia, cilicia, diſciplinæ, aliæque pœnitentiæ corporales prohibeantur, neque permittantur ad templum etiam adire, ſed domi ſecreto & tacite adminiſtrentur Sacramenta; diſſimuletur cum illis ingreſſus in hortum, vel Collegium, modo ſecreto id fiat; permittantur colloquia & recreationes ſecreto cum iis qui maxime arriſerint.

X.

Pro diſpoſitione redituum, quos habet Vidua, in favorem Societatis facienda, proponatur perfectus ſtatus hominum ſanctorum, qui relicto

Mun-

Mundo, præſentibus & bonis abdicatis cum magna raſſegnatione & animi hilaritate Deo ſervierunt. Exponantur in ordine ad hoc quæ habentur in inſtitutione & examine Societatis de iſtiuſmodi renunciatione & abnegatione omnium rerum; allegentur exempla Viduarum, quæ ſic brevi in ſanctas evaſerunt, cum ſpe canonizationis, ſi ſic in finem uſque perſeveraverint; oſtendaturque ipſis non defuturam ad hoc noſtrorum apud Pontificem auctoritatem.

XI.

Imprimendum ipſis hoc firmiter, ſi conſcientiæ perfecta quiete frui velint ultro, ſine murmuratione, tædio, aut ulla renitentia interiori, ſequendam eſſe tum in ſpiritualibus, quam corporalibus & tempora-

poralibus Confeſſarii directionem, tanquam a Deo peculiariter deſtinati.

XII.

Inſtruendæ etiam per occaſionem gratius eſſe ſi perſonis Eccleſiaſticis, maxime Religionis ſpectatæ & exemplaris vitæ, eleemoſynas ſuas dent, nonniſi conſcio tantum & approbante Confeſſario.

XIII.

Cavebunt diligentiſſime Confeſſarii, ne quocunque prætextu hujuſmodi Viduæ illorum pœnitentes alios Religioſos inviſant, aut familiaritatem cum illis ineant, quod ut impediant, conabuntur ſuo tempore prædicare Societatem, tanquam Ordinem ſuperlativum præ cæteris, & utiliſſimum in Eccleſia, majoris utili-

utilitatis apud Pontificem & Principes omnes, perfectiſſimum in ſe, quia dimittit noxios & inidoneos, adeoque ſine ſpuma & fæcibus vivit, quibus ſcatent Monachi plerumque indocti, bardi, ſegnes, ſalutis ſuæ incurii, ventricolæ &c.

XIV.

Proponant Confeſſarii & ſuadeant illis ordinarias penſiones & tributa, quibus ſublevantur annuatim Collegiorum & Domorum Profeſſarum debita, præcipue Domus Profeſſæ Romanæ; nec non immemores ſint ornamentorum Templi, ceræ, vini, ad celebrationem Miſſæ neceſſariorum.

XV.

Quod ſi in vita ſua Vidua ex pleno bona ſua Societati non tranſcripſerit, proponantur illi per occaſionem, & præſertim ingruente gravi morbo aut periculo vitæ, egeſtas, novitas, & multitudo plurimorum Collegiorum nondum fundatorum, inducanturque ſuaviter & fortiter ad ſumptus faciendos, quibus æternam gloriam ſunt fundaturæ.

XVI.

Idem faciendum cum Principibus & benefactoribus aliis, perſuadendum inquam ea, quæ perpetua ſunt in hoc Mundo & in altero, æternam illis gloriam paritura. Quod ſi hinc inde aliqui malevoli allegent exemplum Chriſti, qui non habebat

ubi

ubi caput reclinaret, velintque Socios Jeſu Chriſti ſimiliter eſſe pauperrimos; oſtendatur, & ſerio imprimatur omnibus Eccleſiam Dei nunc mutatam, & Monarchiam factam, quæ auctoritate & potentia magna tueri ſe debet contra potentiſſimos inimicos, & eſſe lapidem illum parvum exciſum, qui crevit in montem maximum prædictum per Prophetam.

XVII.

Iſtis, quæ addictæ ſunt eleemoſynis & ornatui Templorum, oſtendatur crebro ſummam perfectionem in eo exiſtere, quod terrenarum rerum amore ſeſe exuentes, ipſum Chriſtum ejuſque Socios earum poſſeſſores efficiant.

Sed

XVIII.

Sed quia minus ſemper ſperandum à Viduis, quæ liberos ſuos ad ſæculum dirigunt, videbimus &c.

Caput VIII.

Quomodo agendum ut Filii & Filiæ Viduarum Religioſum aut Devotarium ſtatum amplectantur.

I.

Sicut Matribus fortiter, ſic noſtris ſuaviter in hac materia eſt agendum. Matres nimirum inſtruendæ, ut proli ſuæ reprehenſionibus, caſtigationibus &c. moleſtæ ſint a teneris; dum provectiores præſertim filiæ fuerint, muliebrem ornatum

tum illis negent, optando ſæpe, & Deum rogando ut ad ſtatum Eccleſiaſticum aſpirent, & pollicendo inſignem dotem, ſi Moniales eſſe voluerint. Exponant difficultates quæ in Matrimonio omnibus ſunt communes, & ſi quas ipſæmet in particulari expertæ ſint, dolendo quod cœlibatum ſuo tempore Matrimonio non prætulerint. Denique ſic agant continuo, ut filiæ præſertim tædio affectæ apud Matrem tali modo tranſigendæ, de ſtatu religioſo cogitent.

II.

Cum filiis converſentur noſtri familiariter, ſiquidem ad Societatem noſtram apti niſi fuerint, introducantur opportune in Collegium, & oſtendantur, explicenturque illis ea quæ modo grata futura, & ad Societa-

cietatem amplectendam invitatura creduntur, ut ſunt horti, vineæ, domus rurales, & prædia, ubi noſtri ſeſe recreant. Narretur illis itineratio ad diverſa regna, communicatio cum Principibus Mundi, blanda converſatio inter noſtros, Regulæ noſtræ facilitas, cui tamen compromiſſa eſt gloria Dei, Ordinis denique noſtri ſuper alios præeminentia, & colloquia ſimul facta cum piis commiſceantur.

III.

Moneantur quaſi ex revelatione interdum ad Religionem in genere; deinde caute inſinuetur perfectio & commoditas noſtræ præ cæteris, exponanturque tum in publicis exhortationibus, tum in privatis colloquiis quam ſit grave con-

tra

tra Divinam vocationem calcitrare, & tandem inducantur ad facienda exercitia ſpiritualia, ut de ſtatu Religioſo concludant.

IV.

Procurent noſtri ut hujuſmodi adoleſcentes inſtructores habeant Societati addictos, qui continuo invigilent & hortentur. Si autem reluctent, ſubtrahantur hinc inde aliqua, ut tædio vitæ afficiantur. Exponant Matres difficultates familiæ, tandem ſi non ita commode fieri poſſit, ut ſua ſponte animum ad Societatem adjiciant, mittantur titulo ſtudiorum ad remota Societatis Gymnaſia, & ex parte Matris pauca ſubmittantur ſolatia, ex parte vero Societatis exhibeantur lenocinia, ut affectum in nos transferant.

Caput IX.

De reditibus Collegiorum augendis.

I.

NEmo, quantum fieri poterit, ad ultimam profeſſionem admittatur, quamdiu ſucceſſiones aliquas expectat, niſi fratrem ſe juniorem habeat in Societate, vel ob alias graves cauſas: In omnibus tamen & ante omnia conſulendum eſt amplificationi Civitatis ſecundum fines ſuperioribus notos, qui in hoc ſaltem conſpirent, ut Eccleſia ad majorem Dei gloriam priſtino nitori reſtituatur, & totius Cleri nonniſi unus ſit ſpiritus. Quocirca monendum eſt, & paſſim promulgandum Societatem

partim conſtare ex profeſſis adeo mendicis, ut præter largitiones quotidianas fidelium, careant omnibus cibis, partim etiam aliis Patribus pauperibus quidem, ſed qui poſſident bona ſtabilia, ne ſint in gravamen populi, pro ſtudiis & functionibus ſuis, ut ſunt cæteri mendicantes: ideoque ſerio inculcent Confeſſarii Principum & Magnatum, Viduarum, & aliorum (a quibus Societas multum exſpectare poteſt), ea quæ hanc materiam concernunt, ut dum ſpiritualia illis conferunt & divina, ad minimum temporalia & terrena ab illis recipiant; neque vix unquam omittant occaſiones recipiendi cum offeruntur; ſi autem promiſſum fuerit, & differatur prudenter, in memoriam revocetur,

quantum tamen fieri poteſt, omnem affectum erga divitias diſſimulando: quod ſi quis ex Confeſſariis ſive Magnatum ſive aliorum ad hæc in praxim redigendum minus induſtrius videatur, tempore & caute amoveatur, alio in locum ejus ſuffecto, & ſi neceſſarium erit ad majorem pœnitentium ſatisfactionem, ad remotiora Collegia relegetur, dicendo Societatem plurimum illius perſona ac talentis ibidem indigere. Nuper enim audivimus juvenes Viduas immatura morte præventas negligentia noſtrorum ſupellectilem valde pretioſam Templis Societatis dicatam non legaſſe, eo quod tempeſtive acceptata non eſt; neque eſt ad ſimilia acceptanda tempus, ſed bona pœnitentium voluntas ſpectanda.

Præla-

II.

Prælati, Canonici, Paſtores, aliique opulenti Eccleſiaſtici induſtriis variis ad exercitia ſpiritualia ſunt alliciendi, & paullatim ſic mediante affectu ad res ſpirituales Societati conciliandi, deinde eorum liberalitas paullatim prognoſticanda.

III.

Non négligant Confeſſarii interrogare ſuos pœnitentes (opportune tamen) de nomine, familia, affinibus, parentibus, amicis bonis; deinde ſpectare ſucceſſiones illorum, ſtatum, intentionem, ac reſolutionem, quam ſi nondum ſumpſerint Societati favorabilem, oportebit perſuadere; quod ſi ſpes alicujus utilitatis prima fronte effulgeat, quia non expedit de omnibus ſimul inter-

rogare, jubeantur ſive titulo majoris elucidationis conſcientiæ, ſive pœnitentiæ medicinalis hebdomatim confiteri, & honeſte ab eodem Confeſſario invitentur, ut quod una vice inquirere non potuit, pluribus inquirat; ſi fœmina fuerit ad perſiſtendum in frequenti Confeſſione & viſitatione; ſi vir ad ſodalitatem frequentandam, & familiaritatem noſtrorum quoquomodo inducantur.

IV.

Quæ de Viduis dicta ſunt, eadem agenda circa Mercatores, Cives opulentos, & Conjugatos prole carentes intelligantur; a quibus non raro Societas ex aſſe hæreditatem acquiret, ſi prudenter hæ rationes executione mandentur. Potiſſimum autem hæc obſervanda erunt circa opulen-

pulentas noſtros frequentantes, quæ ſi non ſint parentibus valde nobilibus natæ, tantum ad ſummum poterit vulgus ſæpe ſæpius obmurmurare.

V.

Rectores Collegiorum conabuntur habere notitiam domorum, hortorum, prædiorum, vinearum, pagorum, cæterorumque bonorum quæ a primariis Nobilibus, Mercatoribus, aut Civibus occupentur, & ſi fieri poteſt, gravaminum & redituum quibus onerantur, ſed caute hoc præſtandum, ut efficaciſſime per Confeſſionem, ſodalitatem, ac privata colloquia, quod ei Confeſſarius pœnitentem divitem adeptus ſit, continuo Rectorem moneat, & omnimode fovere conetur.

VI.

Porro ſumma rei in eo conſtituenda eſt, quod noſtri omnes opportune benevolentiam pœnitentium captare norint, & aliorum, quibuſcum converſantur, & ſingulorum inclinationi ſe accommodare; quapropter ad loca, quæ a divitibus & nobilibus inhabitantur, Provinciales provideant ut multi mittantur, & ut Provinciales id prudentius & facilius faciant, Rectores de meſſe illos inſtruere accurate ſuo tempore meminerint.

VII.

Inquirent etiam an Contractus, & Profeſſiones per receptiones filiorum in Societatem ad illam tranſire poſſint, & ſi fieri poteſt, explorent an bona aliqua ſic per pactum con-

ducta,

ducta vel aliter cedere poſſint, ut poſt tempus Societati cedant, ad quem finem Societatis neceſſitas & gravamen omnium debitorum omnibus præſertim Magnatibus & divitibus intimanda eſt.

VIII.

Si contigerit Viduas aut Conjugatas divites nobis addictas tantum habere filias, eas noſtri blande dirigent ad ſtatum devotarium, vel ad Religionem Monialium, dote aliqua illis relicta, cætera Societati paullatim acquirent. Quod ſi filios habeant, qui Societati apti erunt ad illam alliciantur, alii ad alias Religiones etiam certo minimo compromiſſo inducendi erunt. Sed ſi filius unicus ſit, quibuslibet modis ad Societatem pertrahendus erit, eique

eique metus omnis parentum ex animo removendus erit, & vocatio Chriſti inculcanda eſt, oſtendendo etiam Deo ſacrificium gratiſſimum fore, ſi Parentibus inſciis & invitis aufugerit; deinde mittatur ad Novitiatum remotum, præmonito prius Generali. Quod ſi filios & filias habeant, prius filiæ in Monaſterium, vel ad ſtatum devotarium dirigant, deinde filii in Societatem cum bonorum ſucceſſione pertrahantur.

IX.

Superiores hujuſmodi Viduarum & Conjugatorum Confeſſarios ſuaviter & fortiter moneant, ut ſeſe utiliter pro Societate ſecundum hæc Monita impendant: quod ſi non fecerint, alii eorum ſubſtituantur, & ipſi removeantur, ſic ut notitiam

tiam cum illa familia fovere non poſſint.

X.

Viduæ, vel aliæ perſonæ, quæ videntur magno affectu ad perfectionem tendere, inducantur ad hoc tanquam ad efficaciſſimum perveniendi apicem perfectionis, ſi omnes ſuas poſſeſſiones Societati cedant, & vivant annonæ Societatis, quæ illis ſecundum exigentiam continuo miniſtrabitur, ut ſine ulla cura ac ſolicitudine Deo liberius ſerviant.

XI.

Ad perſuadendum efficacius paupertatem Societatis Superiores a ditioribus perſonis Societati addictis mutuent pecunias ſub chyrographo, quarum ſolutio differatur. Deinde tempore morbi, præſertim periculo-

ſi, talis perſona conſtanter viſitetur; & omni ratione præveniatur, ut tandem moveatur ad reddendum chyrographum. Sic enim noſtri non agnoſcentur Teſtamento, & interim nihilominus lucrabimur abſque invidia ſuccedentium in bona morientis.

XII.

Conveniet etiam ab aliquibus perſonis pecuniam ſub annuo reditu ſumere, & eandem nummo altiori alibi conſtituere, ut reditus reditum compenſet. Interim enim fieri poterit ut amici, qui pecunias ſic mutuo dederunt, miſericordia noſtri moti, lucrum aut ſubinde etiam Capitale ſive Teſtamento ſive Donatione inter vivos Societati cedant, dum Collegia ſtruuntur, aut Templa ædificantur.

Utili-

XIII.

Utiliter etiam Societas ſub nomine Mercatorum divitum nobis addictorum negotiari poterit, ſed reſpiciendum certum & copioſum lucrum etiam in Indiis, quæ Societati non tantum amicos, verum etiam opes multas hactenus Deo favente ſubminiſtrarunt.

XIV.

Procurent noſtri in locis, ubi reſident, habere Medicum aliquem Societati fidelem, quem apud ægros præcipue præ cæteris commendent & extollant, ut viciſſim ipſe noſtros præ cæteris Religioſis commendans efficiat, ut paſſim apud primarios ægrotos & præſertim moribundos vocemur.

XV.

Confeſſarii ſint aſſidui in viſitandis ægrotis, potiſſimum qui periclitantur ; & ut alios Religioſos ac Eccleſiaſticos inde honeſte eliminent, procurent Superiores ut tempore illo, quo Confeſſarius diſcedere ab ægroto cogitur, continuo alii ſuccedant, & ægrotum in bonis propoſitis foveant. Interim incutiendus erit prudenter horror Inferni &c. ad minimum Purgatorii ; demonſtrandumque, quod ſicut aqua extinguit ignem, ſic eleemoſyna extinguit peccatum ; nuſquam autem eleemoſynas melius impendi poſſe, quam in hujuſmodi perſonarum alimentum ; ac ſubſidium, qui ex vocatione ſua profitentur charitatem ergā ſalutem proximi. Sic enim illius participes

facient

facient ægrotos, ſatisfaciendo pro peccatis propriis, quia Charitas operit multitudinem peccatorum: deſcribi poteſt quoque Charitas tanquam veſtis illa nuptialis, ſine qua nemo admittitur ad menſam cœleſtem. Denique ex Scriptura & Sanctis Patribus alleganda erunt, quæ (reſpectu habito ad capacitatem ægroti) efficaciſſima judicabuntur ad illum permovendum.

XVI.

Mulieres conquerentes de vitiis & moleſtiis ſuorum Maritorum doceantur ſubtrahere ſecreto ſummam aliquam pecuniæ, illamque Deo offerre pro expiandis peccatis Maritorum, & habenda illis gratia.

Caput X.

De diſciplinæ hujus rigore privato in Societate.

I.

DImittendus erit quilibet, vel cujuſvis conditionis & ætatis, alio colore quæſito, tanquam hoſtis Societatis, qui devotas noſtras vel amicos alienaverit a Templo noſtro, vel frequentationem noſtrorum, aut eleemoſynas ad alia Templa, vel Religioſos diverterit, vel alicui opulento, aut bene Societati congruo diſſuaſerit. Tum etiam qui circa tempus, quo de bonis propriis diſponendum erat, affectum erga conſangui-

ſanguineos potius, quam erga Societatem oſtenderint. Hoc enim magnum immortificati animi ſignum eſt, & convenit profeſſos eſſe plane mortificatos. Item qui eleemoſynas a pœnitentibus vel aliis amicis Societatis oblatas ad conſanguineos ſuos diverterint; ſi autem de cauſa dimiſſionis ſuæ poſtea non conquerantur, non dimittantur ſtatim, ſed prohibeantur primo ab audiendis Confeſſionibus; mortificentur & vexentur exercitiis viliſſimorum officiorum; cogantur ad ea in dies præſtanda, a quibus averſionem maximam habere cognoſcuntur; removeantur ab altioribus ſtudiis ac honorificis muniis; urgeantur capitulis ac reprehenſionibus publicis; arceantur recreationibus & converſatione ex-

ternorum: ſubtrahantur a veſtibus & aliis utenſilibus, & quæ omnino neceſſaria non ſunt, donec ad murmurationem, & impatientiam reducantur; & tunc tanquam animi immortificati, & aliis malo exemplo pernicioſi dimittantur; & ſi ratio dimiſſionis parentibus aut Prælatis Eccleſiæ danda ſit, dicantur non habuiſſe ſpiritum Societatis.

II.

Dimittendi inſuper erunt qui ſcrupulum fecerint in acquirendis bonis Societati, dicanturque eſſe nimium proprio judicio addicti: quod ſi apud Provinciales rationem facti ſui reddere voluerint, non audiantur, ſed urgeantur ad regulam, quæ omnes obligat ad cæcam obedientiam prompto animo præſtandam.

Refle-

III.

Reflectendum erit ab initio & a teneris quinam maxime in affectu erga Societatem proficiant ; qui autem affectum erga alios ordines, aut pauperes, aut parentes tenere deprehenduntur, cum ſint futuri inutiles, modo ſupradicto paullatim ad dimiſſionem diſponantur.

Caput XI.

Qualiter noſtri unanimiter ſe præſtabunt contra dimiſſos a Societate.

I.

Quoniam dimiſſi ſaltem aliquorum ſecretorum conſcii ſunt, plerumque obſunt, ac proinde eorum

conatibus obviandum erit. Hujuſmodi antequam e Societate dimittantur, inducantur ſcripto promittere, & jurent ſe nihil unquam de Societate ſcripturos vel dicturos. Interim Superiores ſervent ſcripto malas inclinationes, defectus, ac vitia illorum, quæ ipſi in manifeſtatione conſcientiæ ſuæ promere Societati debuerunt; quibus ſi neceſſe fuerit Societas apud Magnates & Prælatos ad illorum promotionem impediendam ſe juvare poterit.

II.

Scribatur quamplurimum per Collegia quinam dimiſſi ſint, exaggerenturque cauſæ dimiſſionis generales; immortificatio animi, inobedientia, parvus affectus erga exercitia ſpiritualia, proprium judicium &c.

Google

&c. Deinde moneantur alii omnes ne cum illis ulla ratione correſpondeant, & ſi ab externis de dimiſſis mentio fiat, loquantur omnes uniformiter, & paſſim dicant Societatem neminem dimittere ſine gravibus cauſis, ejicere inſtar maris cadavera &c. Inſinuentur etiam caute hujuſmodi cauſæ, propter quas Societas odio habetur, ut poſtea plauſibilior ſit dimiſſio.

III.

In domeſticis exhortationibus perſuadeatur dimiſſos eſſe plane inquietos, & continuo Societatem repetere, exaggerenturque infortunia eorum, qui poſt diſceſſum a Societate male perierunt.

IV.

Obviandum etiam erit accuſationibus, quas dimiſſi a Societate facere poſſunt, per auctoritatem virorum gravium, qui paſſim declarent Societatem neminem ſine gravi cauſa dimittere, neque preſcindere ſana membra; quod confirmari poteſt per zelum, quem habet & generatim oſtendit Societas erga animas externorum, quanto magis erga domeſticos ſuos.

V.

Deinde hujuſmodi Magnates aut Prælati, apud quos dimiſſi aliquid auctoritatis aut fidei ſibi conciliare cœperint, omni genere beneficiorum præveniendi ſunt ac obſtringendi, explicando illis quomodo bonum commune unius Religionis tam celebris,

lebris, quam utilis Eccleſiæ præponi debeat bono privato qualiſcunque perſonæ. Quod ſi affectus erga dimiſſos perſeveret, juvabit cauſas dimiſſionis exponere, & exaggerare etiam quæ non adeo certa ſunt, modo per probabilem conſequentiam deduci poſſint.

VI.

Omnimodè præcavendum erit ne præſertim ii, qui ſua ſponte Societatem deſeruere, promoveantur ad aliqua officia aut dignitates Eccleſiaſticas, niſi ſe ſuaque omnia Societati ſubmiſerint, ita ut omnibus conſtare poſſit quod a Societate omnino dependere ſemper velint.

VII.

Procuretur tempore ut ab exercitio functionum in Eccleſia, ut

ſunt Conciones; Confeſſiones &c. quantum fieri poteſt ſint remoti, ne affectum & applauſum vulgi ſibi concilient, eo fine diligentiſſime in vitam ac mores illorum erit inquirendum, nec non in ſodalitia, occupationes &c. ac intentionem dimiſſi. Quocirca efficiendum erit ut cum aliquo e familia illa, quam dimiſſi incolunt, noſtri peculiarem correſpondentiam habeant, quamprimum autem quidpiam minus laudabile aut cenſura dignum deprehenſum fuerit, per perſonas inferioris ordinis nobis addictas in vulgus diſpergantur, deinde Magnates vel Prælati, qui dimiſſos fovent, futuræ infamiæ inditiis imbuantur. Quod ſi nihil committant reprehenſione dignum, & laudabiliter ſe gerant; ex-

tenuen-

tenuentur argutis propoſitionibus ambiguiſque verbis eorum virtutes, & opera quæ commendantur, donec æſtimatio & fides, quæ antea illis adhibebatur, imminuatur. Societatis enim plane intereſt dimiſſos, & præſertim eos, qui eam ſua ſponte voluerunt deſerere, prorſus deprimi.

VIII.

Infortunia & eventus ſiniſtri, qui illis accidunt, quamprimum divulgandi ſunt, imploratis tamen precibus perſonarum piarum, ut non credantur noſtri ex paſſione procedere; domi vero omnibus modis exaggerentur, ut alii contineantur.

Digitized by Google

Caput XII.

Quinam conſervari ac foveri debent in Societate.

I.

PRimum locum tenere debent ſtrenui operarii, qui ſcilicet non minus temporale quam ſpirituale bonum Societatis promovent, quales ſunt plerumque Confeſſarii Principum, Magnatum, Viduarum, & Devotarum opulentarum, Concionatores, & Profeſſores, & quicunque omnium iſtorum Decretorum ſunt conſcii.

Cor-

II.

Corruentes viribus & defecti ætate, ſecundum quod talenta ſua pro bono Societatis temporali impenderunt, adeo ut habeatur decens ratio meſſis præteritæ. Præterquamquod accepta inſtrumenta ſint ad deferendos Superioribus defectus ordinarios, quos in reliquis domeſticis, cum perpetuo domi ſunt, animadvertunt.

III.

Dimittendi nunquam erunt quantum fieri poteſt, ne Societas male audiatur.

IV.

Præterea fovendi quicunque ingenio, nobilitate, divitiis excellunt, præſertim ſi amicos & conſanguineos Societati addictos habeant, & poten-

potentes; & revera ipſi affectu ſincero erga Societatem ſint ſecundum explicationem ſupradictam, mittendi illi Romam, vel ad Univerſitates celebriores ut ſtudeant. Si autem in Provincia ſtuduerint, peculiari affectu & favore Profeſſoris ſunt promovendi; quoadusque ceſſionem bonorum Societati fecerint, nihil illis denegetur; ſed poſtquam illam fecerint, mortificentur, ut cæteri, ſemper tamen reſpectu habito ad præterita.

V.

Erit etiam ratio peculiaris eorum apud Superiores, qui ſelectos aliquos juvenes ad Societatem allexerint, quandoquidem affectum ſuum erga Societatem non parvum teſtati ſunt, ſed quamdiu illi nondum

profeſſi

profeſſi ſunt, videndum ne nimium illis indulgeatur, ne forte fortuna, quos ad Societatem adduxerunt, reducant.

Caput XIII.

De delectu juvenum in Societatem admittendorum, & modo retinendi.

I.

Summa prudentia contendendum eſt ut eligantur juvenes ingenio bono, forma non contemnenda, genere nobiles, aut quod minimum horum aliquo excellentes.

II.

Ut facilius ad inſtitutum noſtrum pertrahantur, peculiari affectu quamdiu ſtudent a Præfectis Scholarum

rum & Magiſtris ſunt præveniendi extra tempora Scholæ ; ab iiſdem ſunt inſtruendi quam gratum Deo ſit, ſi quis illi ſe & omnia ſua præſertim in Societatem Filii ſui Unigeniti conſecret.

III.

Ducantur (occaſione data) per Collegium & hortum , immo aliquando etiam ad Villas, & cum noſtris converſentur tempore recreationis, & paullatim familiares fiant, cavendo tamen ne familiaritas pariat contemptum.

IV.

Non permittant caſtigari, & in ordinem redigi a Præceptoribus cum aliis diſcipulis.

V.

Munuſculis ac Privilegiis variis illorum ætati conformibus devinciendi ſunt, & maxime colloquiis ſpiritualibus ſunt animandi.

VI.

Inculcetur illis hoc fieri diſpoſitione Divina, tanquam ad Societatem electis præ tot aliis idem Gymnaſium frequentantibus.

VII.

Aliis occaſionibus præſertim exhortationibus terrendi ſunt minis damnationis æternæ, niſi divinæ vocationi obtemperent.

VIII.

Si Societatem ingredi conſtanter petant, differatur illorum admiſſio, quamdiu conſtantes maneant; quod ſi mutabiles appareant

ant, quamprimum & omnibus foveantur.

IX.

Admoneantur efficaciter ne ullo familiari ſuo, & ne quidem parentibus vocationem ſuam aperiant priuſquam admiſſi ſint. Quod ſi deinde aliqua illis tentatio reſiliendi ſuperveniat, in integro tum ipſe tum Societas erit; & ſi illa ſuperata fuerit, ſemper erit occaſio rememoratione ejuſdem poſtea animandi, ſi tempore Novitiatus, aut poſt emiſſa vota ſimplicia obveniat.

X.

Quia vero maxima difficultas eſt in alliciendis Magnatum, Nobilium, Senatorum filiis, quamdiu apud Parentes ſunt, qui illos ad ſuccedendum illorum officiis educant; per-

perſuadendum illis per amicos potius quam per perſonas Societatis, ut illos in aliis Provinciis, & remotis Univerſitatibus collocent, in quibus noſtri docent, præmiſſis inſtructionibus ad profeſſores de qualitate & inclinationibus eorum, ut affectum illorum Societati facilius & cautius concilient.

XI.

Quando ad ætatem aliquo modo maturam pervenerint, inducendi erunt ad facienda aliqua exercitia ſpiritualia, quæ in Germanis & Polonis ſemper bonum ſucceſſum habuerunt.

XII.

Perturbationibus & afflictionibus eorum occurrendum erit pro qualitate & conditione uniuſcujuſ-

que, adhibitis demonſtrationibus & exhortationibus privatis de malo ſucceſſu divitiarum, & bono vocationis non contemnendo ſub pœna indictionis pœnæ infernalis.

XIII.

Apud Parentes, ut facilius filiorum ſuorum deſiderio in Societatem ingrediendi condeſcendant, oſtendatur excellentia Societatis præ aliis Religionibus; ſanctitatis & doctrinæ Patrum noſtrorum; æſtimatio integra apud omnes; honor & applauſus univerſalis, qui Societati a ſummis & a minimis defertur; & recenſeatur numerus Principum & Magnatum, qui magno animi ſui ſolatio in hac Societate Jeſu vixerunt, & mortui ſunt, & etiam nunc vivunt; oſtendatur quam Deo gratum ſit

ſit quod juvenes ſeſe illi mancipent, præſertim in Societate Filii ſui ; & etiam quam bonum ſit viro , *cum portaverit jugum ab adoleſcentia ſua.* Quod ſi de teneritudine & minus perfecta ætate diſceptetur ; declaretur facilitas inſtituti noſtri , quod præter trium votorum obſervantiam nihil aliud , quod valde moleſtum ſit, continet, & quod valde ſpectandum, ne quidem ſub veniali.

Caput XIV.

De caſibus reſervatis, & cauſa dimittendi a Societate.

I.

PRæter caſus expreſſos in Conſtitutionibus, a quibus ſolus Superior

aut Confeſſarius ordinarius cum ejus licentia abſolvere poterit, ſunt ſodomia, mollities, fornicatio, adulterium, ſtuprum, tactus impudicus maris & fœminæ. Præterea ſi quis quacunque zeli cura aut occaſione quomodolibet quidquam grave moliatur contra Societatem, ejuſque honorem atque utilitatem; quæ juſtæ ſunt cauſæ dimiſſionis.

II.

Quod ſi quis aliquid hujuſmodi confiteatur ſacramentaliter, non prius abſolvatur quam promiſerit ſe extra confeſſionem Superiori manifeſtaturum per ſe, vel per Confeſſarium. Tunc Superior concludet pro bono communi Societatis quod melius videbitur, & ſi certa ſit ſpes criminis occultandi, conformi pœnitentia plectendus

ctendus erit; ſin verò, quamprimum dimittendus: caveat ſibi interim Confeſſarius dicere pœnitenti illum periclitari de dimiſſione.

III.

Si quis ex noſtris Confeſſariis audiverit ab aliqua perſona externa quod cum aliquo e Societate rem turpem commiſerit; non eum prius abſolvat, quam extra Confeſſionem aperuerit nomen illius cum quo peccavit; quod ſi dixerit, non adhuc abſolvatur, niſi jurejurando ſe obſtrinxerit ſe nunquam ulli mortalium ſine conſenſu noſtræ Societatis revelaturum.

IV.

Si duo ex noſtris carnaliter peccaverint; qui prior manifeſtaverit, in Societate retineatur; alter dimit-

tatur; ſed deinde ille qui retinetur, ita mortificetur, ut undequaque affligatur, ut præ tædio & impatientia occaſionem det dimiſſioni, quæ ſtatim arripiatur.

V.

Poterit etiam Societas, cum ſit corpus nobile, & præſtet in Eccleſia, a ſe præſcindere hujuſmodi perſonas, quæ ad inſtituti noſtri executionem minus idoneæ videbuntur, quamvis ab initio ſatisfecerint; & facile invenietur occaſio, ſi nempe continuo vexentur, & omnia fiant contra illorum inclinationem; ſubjiciantur Superioribus tetricis, arceantur a ſtudiis & functionibus honoratioribus &c. donec obmurmurent.

Reti-

VI.

Retinendi etiam nullatenus ſunt qui aut Superioribus palam inſurgunt, aut palam aut clam apud Socios ac potiſſimum externos conqueruntur. Item qui apud domeſticos vel externos modum agendi Societatis quoad acquiſitionem aut adminiſtrationem bonorum condemnant, aut alias rationes agendi, v. g. conculcandi & ſupprimendi male affectos erga Societatem, vel dimiſſos &c. Quin etiam qui Venetos aut Francos, aut alios a quibus Societas pulſa, & gravia damna paſſa eſt, in colloquiis ferunt aut defendunt.

VII.

Ante dimiſſionem acerrime agitandi ſunt ii qui dimittentur, a-

movendi a conſuetis officiis, & modo huic, modo illi applicandi. Interim quantumcunque bene præſtiterint, reprehendi debent, eoque modo alteri applicandi. Pro leviori culpa, quam forte commiſerint, graves pœnæ aſſignentur. Confundantur publice uſque ad impatientiam, tandemque ut alii pernicioſi dimittantur; ad hoc autem locus, de quo minime opinantur, eligatur.

VIII.

Si de aliquo noſtrorum ſpes certa ſit de obtinendo Epiſcopatu, aut alia dignitate Eccleſiaſtica; præter conſueta Societatis vota cogatur alterum emittere, quod ſemper bene de Societatis inſtituto ſenſurus ſit ac dicturus, neque alio Confeſſario, quam qui de Societate ſit, utatur; quin-

quinimo ſe in nullis rebus alicujus momenti quidpiam diſpoſiturum, niſi audito judicio Societatis. Quod quia Cardinalis Toledus non obſervavit, Societas a ſancta Sede impetravit, ut poſthac nullus Maranus perfidiæ Judaicæ aut Mahometicæ hæres admittatur: qui tale votum præſtare noluerit, ut acerrimus Societatis hoſtis, quantumcunque celebris eſſet, dimittatur.

Caput XV.

Quomodo agendum cum Monialibus devotariis.

I.

Caveant valde Confeſſarii & Concionatores offendere Moniales, aut illis

illis dare occaſionem tentationis contra vocationem. Sed contra, affectu potiſſimum Superiorum ſibi conciliato, procurent Confeſſiones ſaltem extraordinarias excipere ; multum enim juvare poſſunt Societatem nobiles præſertim & divites Abbatiſſæ, tam per parentes & amicos ſuos, adeo ut, mediante notitia Monaſteriorum primariorum, paullatim in notitiam & amicitias totius fere Civitatis Societas venire poſſit.

II.

Vetandum ex altera parte Devotariis etiam noſtris, ne Monaſteria fœminarum frequentent, ne vivendi ratio illa magis arrideat ipſis, & ſic Societas omnium bonorum, quæ poſſident, fruſtretur. Inducantur vero ad præſtandum votum ca-

ſtitatis & obedientiæ in manu Confeſſarii ſui; oſtendaturque illam vivendi rationem eſſe conformem primitivæ Eccleſiæ moribus, utpote lucentem in domo & non ſub modio, ſine proximi ædificatione & fructu animarum. Præterquamquod exemplo Viduarum illarum evangelicarum Chriſto in Sociis ſuis benefaciant de ſubſtantia ſua. Denique omnia quæ in præjudicium clauſtralis vitæ ſunt exponantur, eique applicentur. Hujuſmodi inſtructiones ſub ſecreto ſigillo communicent, ne forte ad aures Religioſorum perveniant.

Caput XVI.

De contemptu divitiarum palam præſeferendo.

I.

Ne ſæculares nobis adſcribant nimium affectum erga divitias, juvabit nonnunquam recuſare eleemoſynas minoris momenti, quæ pro officiis a Societate præſtitis offeruntur; quanquam ab iis qui nobis omnino addicti ſunt etiam minimas quaſcunque acceptare conveniat, ne avaritiæ arguamur, ſi tantum dona inſigniora admittamus.

Negen-

II.

Negentur ſepulturæ perſonis vi-libus in Templis noſtris, licet valde addictæ nobis ſint, ne videamur pluralitate mortuorum divitias venari, & conſtet de beneficiis quæ a mortuo recepimus.

III.

Cum Viduis aliiſque perſonis, quæ Societati pleraque ſua dedere, agendum erit valde reſolute & acrius (cæteris paribus) quam cum aliis, ne videamur propter conſiderationem bonorum temporalium illis favere pluſquam cæteris. Immo idem obſervare convenit reſpectu illorum qui in Societate ſunt, ſed poſtquam bonorum ſuorum ceſſionem & aſſignationem in favorem Societatis fecerint; & ſi neceſſe ſit a Societate dimit-

dimittantur, ſed omni cum diſcretione, ut ſaltem partem eorum, quæ Societati dederint, ei relinquant, aut morientes teſtamento legent.

Caput XVII.

De mediis promovendi Societatem.

I.

In primis in hoc incumbant omnes, ut etiam in rebus parvi momenti unum ſemper ſentiant, & ſaltem exterius dicant. Sic enim quantumcunque res hujus Mundi turbidæ fuerint, Societas augebitur ſemper & confirmabitur.

Sic

II.

Sic omnes lucere nitantur doctrina & exemplis, ut reliqui Religioſi, præſertim ii qui de clero ſunt Paſtores &c.; ſuperentur. Tandemque vulgus omnia a noſtris tantum præſtari oportet, quinimo dicatur non requiri in Paſtoribus doctrinam, tantummodo ſuo munere bene fungantur. Conſilio enim Societatem juvare poſſe, quæ idcirco ſtudia ſummopere commendata habet.

III.

Fovendi Reges ac Principes hac doctrina, quod Fides Catholica in præſenti ſtatu perſiſtere nequeat ſine Poliſtimo, ſed hoc magna opus diſcretione: hac ratione noſtri grati erunt Magnatibus, & ad interiora conſilia utentur.

Foveri

IV.

Foveri poterunt novis lectiſſimis & certiſſimis undequaque tranſcriptis.

V.

Neque parum confert, ſi Magnatum ac Principum diſſenſiones caute ac ſecreto nutriantur etiam cum mutua virium fractione. Quod ſi animadverteretur veriſimiliter conciliandos, Societas quamplurimum illos conciliare contendat, ne aliunde præveniatur.

VI.

Ingerenda omnibus modis, præſertim vulgo & Magnatibus, opinio de Societatis erectione per ſingularem providentiam divinam juxta Prophetiam Joachimi Abbatis, & Divæ Thereſiæ, ad hoc ut Eccleſia ab hæreticis depreſſa ſublevetur.

Tum

VII.

Tum Magnatum & Epiſcoporum gratia obtenta, occupandi Paſtoratus & Canonicatus ad reformationem Cleri exactiorem, qui olim ſub certa regula cum Epiſcopis ſuis vivebant, & ad perfectionem tendebant; & tandem ad Abbatias & Prælaturas aſpirandum, quas antea ignavia & ſtupiditate Monachorum, ubi vacaverint, non erit difficile aſſequi. Etenim ea re Eccleſiæ omnino forent, ſi omnes Epiſcopatus a Societate tenerentur, immo Sedes Apoſtolica poſſideretur, præſertim ſi Pontifex bonorum omnium Princeps temporalis fieret. Quare omni ratione temporalia Societatis prudenter tamen & ſecreto paullatim extendenda, neque dubium quin tunc

aurea ſæcula, pax continua ac univerſalis, & benedictio Divina Sanctam Eccleſiam tueretur.

VIII.

Quod ſi ſpes non effulgeat ad hæc perveniendi, cum equidem neceſſe ſit ut veniant ſcandala; pro tempore invertendus erit Status politicus, & incitandi Principes noſtris familiariter utentes ad bella mutua & importuna, ut ſic ubique Societas imploretur, & impendatur reconciliationi publicæ, ut communis boni auctrix, primariis beneficiis & dignitatibus Eccleſiaſticis compenſetur.

IX.

Denique hoc ſaltem conabitur Societas efficere, acquiſitaPrincipum gratia & auctoritate, ut ab iis, a quibus ipſa non amatur, ſaltem timeatur.

FINIS.

INDEX

CAPITUM.

Caput I.

Quomodo Societas præſtare ſe debeat, quando de novo incipit alicujus loci fundamentum. pag. 5

Caput II.

Quomodo Principum, Magnatum, & Primariorum Patres Societatis familiaritatem acquirent, & convenient. 9

Caput III.

Quomodo agendum Societati cum illis, qui magnæ ſunt auctoritatis in Republica, & quamvis divites non ſint, aliis tamen modis juvare poſſunt. 17

Caput IV.

Quæ commendata eſſe debeant Concionatoribus, & Confeſſoribus Magnatum. 22

Caput V.

Quomodo agendum cum Religioſis, qui iiſdem in Eccleſia, quibus nos, functionibus vacant. 26

Caput VI.

De conciliandis Societati Viduis opulentis. 29

Caput VII.

Quomodo conſervandæ Viduæ, & diſponendum de bonis quæ poſſident. 36

Caput VIII.

Quomodo agendum ut Filii & Filiæ Vidua-

Viduarum Religioſum au. Devotarium ſtatum amplectantur. 46

Caput IX.

De reditibus Collegiorum augendis. 50

Caput X.

De diſciplinæ hujus rigore privato in Societate. 64

Caput XI.

Qualiter noſtri unanimiter ſe præſtabunt contra dimiſſos a Societate. 67

Caput XII.

Quinam conſervari ac foveri debent in Societate. 74

Caput XIII.

De delectu juvenum in Societatem admitten-

mittendorum, & modo retinendi 77

Caput XIV.

De caſibus reſervatis, & cauſa dimittendi a Societate. 83

Caput XV.

Quomodo agendum cum Monialibus devotariis. 89

Caput XVI.

De contemptu divitiarum palam præſeferendo. 92

Caput XVII.

De mediis promovendi Societatem. 94

A01 1670188

nodo retinendi 77

[X]IV.

, & cauſa dimit- 83

XV.

um Monialibus de- 89

XVI.

iarum palam præſe- 92

XVII.

ndi Societatem. 94

2138

Digitized by Google